

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4327

Auteur(s) : Nicolas Dastin, chevalier, Miranda (seigneur)

Bénéficiaire(s) : La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1262, juillet

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Nicolas Dastin, chevalier seigneur de Miranda, donne en perpétuelle aumône à l'abbaye et aux chanoines réguliers de Sainte-Trinité de La Lucerne une rente annuelle de 7 quartiers et 3 boisseaux de froment de la paroisse de Saint-Martin de La Meudraquière. Il confirme la donation faite par son frère Guillaume Dastin à ladite abbaye.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Luzerne, n° CX, p. 93-94.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Nicolaus Dastin, miles et dominus de Miranda, dedi et concessi Deo et abbacie Sancte Trinitatis de Lucerna et canonicis regularibus, Premonstratensis Ordinis, ibidem Deo servientibus, pro salute anime mee et Matildis uxoris mee et Willelmi patris mei et Johanne matris mee et Richardi fratris mei et antecessorum et successorum meorum, in puram, liberam, perpetuam et omnino quietam elemosinam, septem quarteria frumenti et tres boissellos percipienda annuatim, ad festum Sancti Michaelis, in terra mea que est in parrochia Sancti Martini de Murdakeria, videlicet in feodo Thome Mosches XIII boissellos, et in feodo Willelmi Molendinarii de La Dastiniere XVIII boissellos, ad mensuram ejusdem ville, libere, pacifice et quiete, sine reclamacione de cetero mei vel heredum meorum. Preterea concedo et ratam et gratam habeo donationem illam et elemosinationem quam fecerat in parte mea Deo et abbacie predictae et predictis canonicis Willelmus Dastin, frater meus, videlicet tria quarteria frumenti in molendino de Miranda, in parrochia de Sartilleio ; que tria quarteria frumenti predictus Willelmus dedit habenda et possidenda in perpetuum, in puram et perpetuam elemosinam et ab omni opere et sumptu molendini exempta, et in omnibus libera et quietata et absoluta, sicut unquam melius et firmiter elemosina potest dari, elemosinari et adsignari. Et sciendum est quod licebit predictis canonicis pro predicto redditu tantummodo habendo, et non pro alia re, ad terminum supradictum in predictis feodis et hominibus et in predicto molendino et in tenentibus suam plenariam justiciam exercere, sicut melius viderint expedire. Hec autem omnia supradicta a me et a Willelmo sepedicto fratre meo, intuitu caritatis et pro salute animarum nostrarum, data et elemosinata ego predictus Nicholaus et mei heredes tenemur sepedictis canonicis garantizare et defendere contra omnes, vel alibi in propria hereditate nostra, si necesse fuerit, competenter excambiare. Quod ut firmum et stabile perpetuis temporibus observetur, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo secundo, mense julio.